

LITTERARUM UNIVERSITATI
ATQUE
SOCIETATI ACADEMICAЕ
BASILEENSI

REDINTEGRATAE ILLI HUIC CONDITAE
DECEM LUSTRA FELICITER PERACTA

RITE GRATULATUR
RECTOR AC SENATUS LITTERARUM UNIVERSITATIS
BERNENSIS.

~~~~~  
INSUNT HERMANNI HAGENI AD ANTHOLOGIAM  
LATINAM CONIECTANEA

—❖—  
BERNÆ  
TYPIS S. COLLINI  
MDCCCLXXXV

## AGITUR DE ALIQUOT ANTHOLOGIAE LATINAE LOCIS.

---

Nr. 4 (Anth. Lat. ed. Riese I p. 13) v. 5 pro *Veneris monumenta nefanda* legas *nefandae* Verg. Aen. VI, v. 26 respiciens, in quo ipsum illud *Veneris monumenta nefandae* habetur a centonariae poeseos auctore subreptum. V. 14 post *Olympum* interrogandi nota sublata comma ponas, ut quae v. 15 secuntur pro apodosi habeantur. V. 16 pro eo, quod in libro manuscripto legitur, *nato sogente* potius *surgente* quam *cogente* scribendum: nam de filii contra patrem rebellionem agitur. V. 18 pro *perituras fundere voces* legerim *peritura fundere vota*, ut precandi notio certius exprimatur: nam in opusculo alioquin omnimodis prosodiae vitiis scatente de vocis *peritura* ultima falso producta nil haesitandum. V. 21 in medium] fort. in medio. V. 23 *Convenit his ducibus proceres sperare salutem? Sacrati, vestras* etc. aut certe *salutem. sacratos?* legendum, sed illud praetulerim, quia nominandi erant, qui in sequentibus corripuntur. V. 26 *sacratus*] *tractatus* cod., leg. *patratus*, h. e. patris patrati vel sacerdotis vice, nisi Morelii coniectura *trabeatus* magis adridet. V. 31 leg. *Sed Jovis vestram posset turbare quietem!* scilicet ut illud *Jovis*, quod Morelius quoque coniecit, pro nominativo accipiendum esse dicas. V. 33 confugerent, *populus*] malim *confugeret populus*. V. 36 s. leg. *pecudumque cruore Polluit (insanum!) bustisque putentibus aras:* ararum enim pollutio, quae facta esse dicitur, duplici fit ratione et fuso pecudum cruore et accensis victimis. Illud autem *que*, quod

ante *putentibus* inserui, ob primae sequentis vocabuli litterae similitudinem facile potuit intercidere: nam prima eius verbi syllaba quod sic falso corripitur, in tanta istius concinnatoris negligentia prosodiaca nil moror. V. 40 post *ruinam* interrogationis nota ponenda; deinde v. 43 *in risum quaerens quos dederet morti* scribas; porro v. 44 quod pro codicis lectione falsa *subitus* scribitur *sultus*, minus placet, quia vestimenta membris non subponuntur, sed superinducuntur, quare malim *suetus*, ut simul versus sequentis vocabulo *paratus* respondeat. V. 49 *deum* pro genetivo plurali habendum. V. 51 s. cum praecedentibus artius coniungendi. V. 52 *conquireret*] fortasse legendum *conquirere et*, ut *conquirere* eodem modo pendeat a vocabulo *studuit*, quo fundendi verbum in v. 51 initio positum. V. 59 Morelius praeclare coniecit: *modica stipe factus epaeta*; sed quia idem modo inflatus dives fuisse dictus est, non de vera, sed de ementita humilitate agi patet: itaque si pro *factus* scripseris *fictus*, haud scio an propius ad verum accesseris. V. 61 Sordidus, infectus] non adridet *infectus* vocabulum nude positum, quare *sordibus infectus* praetulerim, quod et magis convenit ceteris epithetis, quae sunt *obsitus pannis*, *pollutus sanguine tauri*, id genus alia. V. 63 pro *abieras censor meliorum incedere vitam* procul dubio legendum *ambieras*. V. 64 Cum canibus Megalesiacis circumdatus esses] traditam libro manuscripto lectionem *cum canibus magalis semper* artius premendo *Megar*is (pro *Megaricis*) *semper* conicere praestat. V. 69 Quis cunctis] *Quictis* cod. Fort. *qui cunctis* interrogandi signo in v. 70 fine deleto: videntur enim haec ad ea quae antecesserunt referenda esse. V. 73 *Cymbalae* recte Morelius, sed et *inbueret* scribere debebat pro *inbuerat*. V. 74 s. quae in libro mscr. leguntur (cf. Riese's praef. I p. XI):

Quis Galatea potens iussit Jove prosata summo

Iudicio Paridis pulcrum sortita decorem

quin ad Venerem spectent, dubitari nequit; videtur igitur esse scribendum: *Quis iussit? Galatea potens, Jove prosata* etc. ut Venerem quasi maris filiam in proprio Galatae deae marinae nomine significatam esse statuamus. De Venere autem omnis luxuriae faultrice vide quae v. 5, 9 seq. 20. 113 dicuntur. V. 77 vocem] an *truncum* leg.? Cf. v. 108. V. 79 fortasse ante *donaret* intercidit *ut* particula: nam alias illud *sic*, quod v. 78 legitur, non habet quo

referatur. V. 80 Oblitusque sui] scrib. *oblitosque* et *sui* retinendum. V. 83 *Mitteret inferias* haud male supplevit Morelius, nimirum v. 120 *Praecipitem inferias miserum sub Tartara misit* respiciens, tamen, quia infinitivus modus et praecedit et sequitur, *mittere* et scribere malim. V. 84 verbis *Solvere*///// *cley* // *fa* // *a foedera leges*, quae ex codice Parisino, in quo solo id carmen traditum est, Morelius extricavit, subesse videtur: *Solpere sancta dei effamina foedera leges*. V. 87 sub litteris */a* // *afus* non *Silvanus*, quod Morelius coniecit, sed *Ascalafus* latere videtur, qui ideo hic custos dicitur, quia Proserpinam malum granatum gustantem custodiverat. V. 94 interrogandi notam tollas, quia sequentis versus verbum *placuit* ad hanc quoque sententiam pertinet. V. 96 leg. *Quid miseranda Ceres super Proserpina mater*, i. e. Quid tibi Ceres mater placuit miseranda super Proserpina. V. 100 *luges*] scribendum *lugens*. V. 101 pro *quae* iam Morelius recte *quem* coniecit; in sequentibus (*quem perdere* // // // // // cod. Par.) eundem *quem perderet Isis* restituisse laetor. V. 103 Vidimus argento *facto* iuga ferre leones] fort. *flato*. V. 115 in templis positus] leg. *positis*. V. 116 pro *molat* Rieseus procul dubio recte coniecit *molit*, quod sensu obscaeno positum est; *manibus* vero, quod subnectitur, ad sequentia trahendum.

Nr. 5, v. 3 Quod] leg. *quae*. V. 4 arbitratumque] codicis Vratislaviensis lectio *arbitrarumque* amplexenda esse videtur; est enim sensus is: quae omnium caeli ac maris deorum dearumque sola gentibus tutelam praestas. V. 6 Itemque (*ideque* codd.) lucem] leg. *item quae lucem*.

Nr. 6, v. 4. *Maiestatemque*, quod post v. 4 codices habent, Rieseus ex v. 2 initio repetitum esse statuit, ego pro intercepti versus reliquiis habeo. V. 13. Post hunc quoque versum lacunam statuendam esse puto, quia alias neque illud *omnibus*, quod in v. 13 fine legitur, habet quo referatur neque vocabulum *viribus* vel *virtutibus* in codicibus insuper additum unde ortum sit iuste explicari potest, nisi quid excidisse dicas.

Nr. 15, v. 32. Post hunc versum Rieseus recte lacunam statuit, sed quod Burmannum fortasse recte versum: *Vix ea fatus erat currum geminosque iugalis* inseruisse idem contendit, apte hoc modo lacunam expleri minime concesserim. Verba enim *vix ea fatus erat* ad sermonem quendam Apollinis referri deberent modo commemoratum, id quod de verbis supra v. 25—27 exhibitis minus valet,

ut alteram insuper Apollinis orationem intercidisse statui oporteret. Porro haud dubitari potest, quin ipse leonis interitus olim descriptus fuerit, quia in iis, quae secuntur, non iam de pugna Admeti, sed de reditu eius agitur. Apollinem autem Admeto opem tulisse, immo ipsum leoni caedis auctorem fuisse, ut iam ex versu 27: *Mecum erit iste labor, mitte hanc de pectore curam* colligi poterat, ita ex v. 31 et 32 satis patet. Itaque quod v. 34 Admetus Apollinis *amici munere victor* fuisse atque v. 33 Apollo quid dedisse Admeto dicitur, hoc ad leonem ab Apolline caesum Admetoque muneri oblatum referendum erit. Quae cum ita sint, Burmanno de curru geminisque iugalibus ab Apolline Admeto dono datis cogitanti minus propense adstipulabimur.

Nr. 17, v. 41 post *dotes* interrogandi nota ponenda; v. 44 verba *nescis heu perdita necdum* (an *perdita nunc iam?*) per se posita sententiam absolvant, cf. v. 199 *nescis, heu, perdita nescis*, sequentia vero per interrogationem efferrantur. V. 176 ponto] scribe *Ponto*. V. 255 s. Jasoni tribuerat Rieseus recte, sed iam a v. 254 Jasonis oratio incipit; dicit enim ille Medae satis aperte: atrociam, quorum tu modo mentionem fecisti, facinora in tuis regnis barbaris illis ausa es, haec vero Graeciae loca humanitatis plena talem saevitiam aspernantur. V. 372. Hunc Medae centonem ab auctore suo secundis curis non retractatum fuisse quam vere Rieseus Anth. Lat. I p. 49 statuerit, inde quoque efficitur, quod v. 372 nuntius coram ipso Creonte haec profert: *Vadite et haec regi memores mandata referte*, quasi non Creonti sed aliis nescio quibus narrationem suam exposuerit.

Nr. 21, v. 5 post *quisquis* interpungendum, ut ea, quae secuntur, causam praebeant, quare templi spectator animos laetos ponere iubetur. V. 8 et magnis nequiquam prodiga rebus Mens humilis] sic Hauptius, sed quae cod. Salmasianus praebet: *numquidnam prodita* potius ad haec ducunt: *numquam non prodita*, i. e. mens humilis semper magnis rebus susceptis proditur, cf. quae secuntur: *miseros semper quam maxima produnt*. Nam quod eadem sententia repetitur, hoc vitio totum carmen laborat. V. 17 meliorque] malim *maiorque*, quia hoc epitheton melius cum sequentibus convenit: *quod perdidit ille*, sc. deus, *hic donat*. V. 31 s.

Mens audax, scelus hoc, manus improba, perditus ardor,  
 Antistes uictus, penetralia prodita, numen:  
 Contemptum, templum pauper, piscator abundans.

Nihilopus Quicheratii coniectura, quitempli (sc. contemptum templi) scribendum suspicatus est: vides enim deleta post *numen* interpungendi nota *numen contemptum* coniungendum esse, ut taceam, in hac nominativorum serie accusativo locum non esse. V. 95 pro vili, summa potestas] iam Hauptius codicis vestigia *prost uilissima potestas* artius premens recte *vilis* coniecit; est enim indignantis vox: pro, summa potestas vilis facta est! V. 100—116 (117) ante v. 215 collocandos esse bene vidit Rieseus, quia haec ad refutationem pertinere luce clarius est: sed insuper inter v. 117 et v. 215 nonnulla excidisse statuendum, quia quae v. 116 inest obiectio longiorem desiderat tractationem, quam refutandi occasionem opportune oblatam de manibus omisisse scriptorem minus probabile, si triumphantem v. 117 habitum spectes. V. 111 Hic labor, haec ars est, hinc fulvum colligis aurum.] Interpungendum potius: *Hic labor, haec ars est. Hinc fulvum colligis aurum?* V. 133 post *retortis* puncto sublato comma ponendum: nam, quod sequitur *hoc*, ad v. 132 *Quod* referri debet. V. 134 s. Licet omnibus, utpote quisque Insistit precibus, nec fas est claudere postes.] Manendi sive preces continuandi notio desideratur, quapropter post *precibus* lacunam statuerim. V. 166 Scilicet horrescit, priscos ne nomine avorum Incidat in fasces] leg. *prisco ne nomine avorum*, sc. num metuit, ne in fasces incidat, i. e. poenam capitalem subeat prisco avorum nomine praeditus? V. 184 An vobis mirum est furtum, quod fecerit ille, Sanguinis et vitae pretium cui extinguit honorem.] Interpungendum potius: *An vobis mirum est, furtum quod fecerit ille;* nam haec est sententia: an miramini talem virum, cui sanguinis vitaeque pretium honorem extinguit, furtum commisisse? V. 189 quod Rieseus coniecit *raptui*, eo non opus est, quia codicis lectio *rapto* idem significat. V. 215—266. In hac carminis parte certa agendi via atque ratio plane desideratur, quod inde maxime elucet, quod defensoris sententia v. 215 proposita *qui raperet, donum templis non redderet*, postquam v. 216—227 amplissime refutata est, inde a v. 227 quasi nova denuo infertur: *iam frangere votum est Hoc quoque, quod longo meditatam tempore profers, Argumentum ingens: «templis non redderet aurum,*

*Qui tulerat.* Immo de eadem re, quae bis tractata erat, tertio agitur v. 242 s. ita, ut ne uno quidem verbo eam antea tetigisse scriptorem tibi persuadeas. Leguntur enim haec post duplicem eiusdem argumenti tractationem:

Ni fallor, victum est magno quod protulit astu.

*Sed superest pars magna* mihi de crimine vero:

„Qui raperet, donum templis non redderet.“ Ergo

Hoc quoque sic vincam, verum fatearis ut ipse.

Hinc igitur efficitur, carmen ipsum a confectore suo haud esse omnibus numeris absolutum, sed plura eum ingenii sui conamina (nisi pro conplurium discipulorum in eadem quaestione solvenda laborantium fetibus habenda sunt) invito Apolline consarcinasse.

Nr. 22, v. 3 tegat] Verissime Rieseus *regat* legendum esse quamvis dubitanter coniecit debebatque idem v. 4 quoque utroque loco Heinsium sequi *regit* pro *tegit* scribentem. V. 6 quoque haud dubitandum, quin *constituatque* Rieseus recte coniecerit leges prosodiacas secutus.

Nr. 23, 6 miseri suspiria pingel] leg. *miseræ*, nam de puella pingenda agitur. Ceterum v. 6 ante v. 5 ponendum ipsumque carmen a fine mutilum esse dixerim.

Nr. 24. Hoc carmen, quo amata amanti vicem ferre nesciens amantem redamare iubetur, patet falso inscribi *amans amanti*; legendum potius *amans non amanti*. V. 6 sine sensu *qui semper amatur, semper amare dicitur*; immo poeta amatam amanti semper vicem reddere iubens hoc opinionem suam firmat argumento, ut dicat eum, qui semper amet, et ipsum semper amari; itaque pro *quia semper amat, qui semper amatur* interpungendum: *quia semper amat qui, semper amatur*.

Nr. 25. Extremi duo huius rescripti versus pro spuriis habendi: non solum scatent vitiis prosodiacis, sed etiam illud *munus perdit amanti*, quod v. 1 positum fuerat, extremo versu repetitum taedium movet atque omnino sententiarum in utraque parte propositarum vis minime eiusdem est momenti.

Nr. 27. Hoc carmen non integrum esse iam Meyerus vidit.

Nr. 37, 2 victoria] scrib. *Victoria*; videtur enim de Luxorii codice duabus Victoriis super depictis ornato agi.

Nr. 54 Thesea magnanimum non cepit ianua Ditis, Decepit coniunx Thesea magnanimum.] Malim *Sed cepit*, quod versus serpentini ratio requirere videtur.

Nr. 56, v. 2 *Pendet amore Venus: uritur igne suo* minus recte dici et Cannegieterus et Piersonus bene viderunt, quorum ille *Fervet*, hic *Perdita* coniecit; ego *Fervida* praetulerim deleta post *Venus* interpunctione, quia, ut v. 1 (*Uritur igne suo fumantibus Aetna cavernis*) voce *fumantibus* explicatur, cur Aetna igni suo uri dicatur, ita v. 2 quoque ignis notio desideratur, qua illud *uritur igne suo* inlustretur. Cannegieteri vero coniectura ob id reiicienda, quia sententiarum responsio unum v. 2 enuntiatum requirit.

Nr. 58 Perfida nox Danaï dirarum caede sororum, Mitis Hypermestrae perfida nox Danaï.] Sed perfida nox Danaï non Hypermestrae mitis fuit, sed Lynceo Hypermestrae ope servato; legendum igitur *Hypermestrâ*.

Nr. 61 v. 2 omnipotens.] Quid si scribatur *Ignipotens*? Cf. Aen. VIII, 403, ubi haec Volcanus Veneri arma Aeneae roganti: *absiste precando Viribus indubitare tuis*.

Nr. 63 Praemia magna Dolon currus dum poscit Achillis, Prodidit ipse cadens praemia magna Dolon.] Sensus nimirum is est: qui praemia poscebat, ipse dedit, quare, ut haec antitheta magis eluceant, coniecerim: *Pro dedit*.

Nr. 76 De tumulo Achillis. Iurgia conflatur amor, ut blandius urat amantes : Ad tumulum fidei iurgia conflatur amor.] Huic disticho cum titulus inscriptus parum respondeat, ipsum epigramma, quo de Achillis tumulo agebatur, intercidisse crediderim. Hos vero versus, qui supersunt, ad Oresten et Pyladem referendos esse sagaciter vidit Dorvillius, quem „de Oresta et Pylade“ inscriptionem desiderare Rieseus rettulit. Itaque quin v. 2 codicis lectio *ad cumulum fidei* unice vera sit, minime dubitandum; sensus autem est: amor iurgia conflatur, ut fides inter amicos mutua quasi cumuletur.

Nr. 83, v. 3 quid carminis otia ludant, Cerne bonus mentisque fidem probus indole iudex.] Illud *indole*, quod Higtius pro *incole* coniecit atque Rieseus amplexus est, minus placet, quia verbi notio hic requiritur, a quo *fidem* vox pendere dicatur. Iubetur autem procul dubio lector probi iudicis more in hisce carminibus aestimandis mentis fidem respicere. Fortasse leg. *en cole*, i. e. mentis fidem amplectere, quid poeta voluerit, non quid re vera effecerit, intueri. V. 24

Flamma nocens irata regens: penitusque cucurrit.] Cod. *redens*, pro quo *furens* vel *virens* Burmannus, *regens* vel *recens* dubitanter Rieseus. Sed proxime verum accedere videtur *redit*, i. e. pudor dubia mente remissus. Totus enim locus sic videtur esse distinguendus: *dubiaque remissus Mente pudor, dum verba notat, dum nomina mandat Flamma nocens irata* (sc. dum irata nomina flamma nocens mandat, cf. v. 15 *iratas querellas*, v. 20 *dura vocabula*) *redit, penitusque cucurrit Sopitus per membra calor* etc. V. 27 Conubium nunc crimen erat?] Male inter se consentiunt *nunc* atque *erat* vocabula, quare scribas *num*. V. 35 nihil est, quod, perfide, iactes.] Malim *iactas*, i. e. quod iactas, fatis te cogi ut me deseras, id pro nihilo habendum, neque enim fides sorte, sed fraude perit: altera enim sententia, qua Dido Aeneae nullam iactandi causam esse diceret, huic loco minime apta. Cf. praeterea v. 39 s. V. 41 sic interpungendum: *trahit omnia casus, Dum sortem natura rapit. Sua taedia* etc. Nam verba *sua taedia solus Fallere nescit amor* a ceteris seiungi debere inde efficitur, quod eadem per se posita pro *versu intercalari* habentur in sequentibus, cf. v. 47, 52, 57, 62 etc.

Nr. 86, 6 Sanguineamque manum, tinxit sua lumina gutta.] Post *manum* dimidiatos duos versiculos intercidisce statuerim: conspiciendi enim notio desideratur. V. 10 *floris* est color et cruor unum *cod.*, leg. *floris color et cruor unumst*.

Nr. 87, 1 pro veris amoeni Ingenium!] *amoene* cum *e* caudata *cod.* Magis adridet *amoenum ingenium*. V. 5 *Floris opus* suspicionem movet, quia et in antecedentibus et in iis quæ secuntur de floribus numero plurali, non de flore agitur. Itaque *Floreum opus* coniecerim.

Nr. 93, 1 *negando*, quod *cod.* habet, unice verum: neque enim *necando* mater prolem suam conservavit, sed eo ipso, quod inpendente prolis nece, ut conservaret eam, suam esse negavit, eius se matrem esse declaravit.

Nr. 95, 1 *lumina* penitus erat respuendum pro *limina*, quod *cod.* habet.

Nr. 97. Hoc de Bellerophonte carmen a fine mutilum esse videtur; Bellerophonti enim Chimaerae incendia superanti atque Gorgoneo equo ipsa nubila tangenti opponi debebat Bellerophon Pegaso deiectus caeloque praecipitatus.

Nr. 98 De Chimaera. Ore leo tergoque caper postremaque serpens.] His verbis procul dubio exprimitur Homeri de Chimaera versus, qui est II. VI, 181: *Πρόσθε λέων, ὅπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα.*

Nr. 99, 3 s. Quod tamen iligni violarit terga caballi, Hinc tolerasse ferunt  
sæva venena virum.] Illud *tamen* cum non habeat, quo referatur, aut distichi  
lacuna statuenda, quo de cetera Laocoontis pietate fortasse agebatur, aut,  
quod praeferam, *tantum* legas notam insuper horum vocabulorum in codicibus in-  
mutationem respiciens. Pro *tolerasse* vero, quod tolerari nequit, *lacerasse* reponas.

Nr. 107, v. 8. Quae sapit in morsu] hoc ad *sepiae*, de cuius virtutibus  
hoc carmine agitur, nomen adludit. Quod sequitur: *et probat articulos*, duplici  
sensu accipiendum: et utilem esse sepiae escam corpori et aptum praebere  
diversorum articulorum in eadem nominis forma adhibendorum exemplum, hoc  
nimirum ob id, quod v. 1 poeta dixerat: *Femineo geminum designat nomine  
sexum.*

Nr. 110, 7 Prospera facta viri naturae munera mutant.] Non erat mutanda  
cod. lectio *fata*, quae optimum praebeat sensum hunc: secundam viri fortunam  
effecisse, ut naturae munera mutarentur, i. e. asperorum olim litorum loco balnea  
pulcherrima exstruerentur.

Nr. 111 v. 1 et 2 post v. 4 collocandi sunt, quia post ingressum demum  
atque populi adorationem saltator partes suas agit, quales versibus illis  
describuntur.

Nr. 113, v. 6 leg. *Atque ori socians temperat arte manus*, cf. v. 3 s. *cui  
brachia linguae Concordant sensu conciliata pari*. Ori iam Rieseus coniecerat,  
at *socias* reliquerat, quod ferri nequit.

Nr. 116, v. 3 redimito palmite vertex] leg. *redimitus*, sc. vertex palmite  
redimitus autumnum indicat.

Nr. 120. Fausta novum domini condens Fortuna lavacrum

Invitat fessos huc properare viae.

Laude operis fundi capiet sua gaudia praesul,

Ospes dulciflua dum recreatur aqua.

Condentis monstrant versus primordia nomen

Auctoremque facit littera prima legi.

Lustrent pontivagi Cumani litoris antra:

Indigenae placeant plus mihi deliciae.

Hic iam L. Muellerus sagaciter vidit, v. 4 *ospes* legendum esse pro *hospis* propter acrostichon, quod huic carmini inesse v. 5 demonstrat: formant enim primae litterae nomen *Filocali*. Sed et telestichon subesse patet, cum extremis litteris *Melaniae* nomen efficiatur. Jam quod acrostichi expressis verbis v. 5 ratio habetur, et telestichon commemorandum erat. Accedit, quod minus placet eadem sententia et v. 5 et v. 6 bis posita. Itaque coniecerim v. 6 pro *prima* esse legendum *summa*, ut verbis *condentis versus* ipse carminis scriptor Filocalus nomine significetur, verbo *auctorem* vero is, qui hos versus fieri iussit, Melanias. V. 7 vox *pontivagi* illos significat, quibus per mare vagandi mos est, cf. nr. 121, v. 3. Nam idem est carminum nr. 120 et 121 argumentum.

Nr. 122, v. 4 Ut cernas] Recte Rieseus *credas* scribendum coniecit. Ceterum omnia ista epigrammata nr. 119—123 olim balneorum parietibus inscripta fuisse videntur.

Nr. 124 De thermis. Delectat variis infundere corpora lymphis Et mutare maris saepe fluenta libet.] *Maris* Rieseus recte scripsit pro *magis*, sed ut mutare retinere debebat post *lymphis* distinguens.

Nr. 126, v. 1 *dicata*, quod ob rationes prosodiacas retineri nequit, pro glossemate habendum esse suspicor scribendumque vel *sacrata* vel *devota*. V. 3 Namque ubi tot veterum manserunt scripta virorum] leg. fortasse *Jamque* et *marcebant*. V. 6 has colit et Bromius] *en Bromius* scribas: nam *et* particula tum demum defendi posset, si utroque loco aut *coluit* aut *colit* scripsisset poeta.

Nr. 131, v. 6. 7 Sed quis te docilem indicet artium, Quas natura dedit, cordis acutior?] Agitur de quodam vate ab Apolline omnibusque Musis deserto, quem *arbuto duriores* et *trunco horridiores* poeta dixerat. Jam illa *acutior* forma similiter atque in ceteris modis comparativis factum est ablativum requirit rei cum isto poeta comparandae. Itaque legerim *caute sagacior*, nimirum per ironiam dictum.

V. 135, 2 Prodidit] leg. *Perdidit*; neque enim Briseis ab Achille capta urbem suam prodidit. Videtur autem Paridis iudicium tangi, quippe ex quo bellum Iliacum exarserit.

V. 150, 5 formavit] leg. *formabit*: nam de imagine nondum perfecta, sed

adumbrata solum atque postea demum exigenda agi versus praecedentes 1—3 docent: Hunc, quem nigra *gerit* tabella vultu, Clarum linea quem brevis *notavit*, *Mox* pictor etc. V. 6 scribendum *Ludens tam* (*ludentam* cod.) *propriis fidem figuris*, *Ut*, *quoscumque manus repingat artus*, *Credas* etc. Sunt praeterea haec et cum anterioribus coniungenda. *Fidem* autem *ludere* est verum ludendo effingere.

V. 152, 3 non tardus diffundat] Immo contrarium requiritur, si v. 4 *Ut lateat positis tecta libido cibus* recte se habet. Itaque *iam tardus* legerim.

V. 154, 4 ieiunus] Malim *ieiuno*. V. 5 Quae sim ne dubites: ludens sine nomine nympha; Quod Galatea vocer, lactea massa probat.] Haec sic distinguenda: *Quae sim*, *ne dubites*, *ludens sine nomine nympha*, *Quod* etc., h. e. quae ego nympha sim sine nomine ludens, ne dubites, lactea massa probat, Galateam me vocari. Carebat nimirum Galataeae imago in vase depicta nomine alias addi solito, ut, quae esset nympha descripta — nam nympham delineari quivis intellegere poterat — quis etiam dubitare posset.

Nr. 160, 2 Sus iacet extinctus, serpens pede virque veneno.] Vides, non suem solum iacere, sed serpentem quoque atque virum, cum omnes tres extincti esse dicantur. Minime igitur vox *iacet* suis propria est, contra, ut serpens pede, vir veneno extinctus esse dicitur, ita in sue quoque necis modus erat depingendus. Quod et v. 6 aperte demonstrat, ubi habes: *Dente perit iuvenis*, *pede serpens*, *porcus ab ictu*. Atque idem in illo versu, quem l. l. ex cod. Bern. 207 s. X in adnotatione Rieseus attulit, conspicitur: *Anguis pressa perit*, *fera telo virque veneno*, quode cf. anecdota mea Helvetica ad grammaticam Latinam spectantia praef. p. CCXXXVI. Scribendum igitur: *Sus iaculo extinctus*.

Nr. 169 2 Quae tulit ut circi aureus ora tumor.] Haec, quae, ut nunc se habent, omni sensu destituta sunt, sic correxerim atque distinxerim: *Quae tulit*, *ut citri*, *aureus ora tumor*? H. e. : quae ora similis aureus tumor tulit, ut citri ora? Nam *de citro* carminis inscriptio est.

Nr. 171, 3 Unumquemque suum referunt pomuscula sucum] leg. *Unum quaeque*, sc. pomuscula quaeque unum suum sucum referunt.

Nr. 172, 1 post *membris* leviter interpungendum: nam verba *frondibus et membris*, quae pro dativis accipias, cum v. 2 vocabulo *congruus* sunt iungenda.

Nr. 173, 2 Nativusque probat pectora tensa rubor.] Agitur de Marsya ab Apolline cute orbato: quare *tonsa* legendum.

Nr. 174, 4 tristis] malim *tardus* (cf. v. 2): nam tristitia facillime poterat effingi, claudicatio non item.

Nr. 182, 3 Corvus carbo cinis: concordant multa colori, Quod legeris nomen, convenit: Aethiopis.] Agitur de servo quodam nigro, cui Aethiopis nomen est, ita ut et color et nomen congruant, id quod in aliis rerum nigrarum nominibus, ut in corvo, carbone, cinere, non accidit. Legendum nimirum: *concordant nulla colori*.

Nr. 184, 4 adacta] leg. *abacta*: dicendum enim fuit, Graecorum classem, quae Troiam peteret, Telephi litus invitam tetigisse.

Addo nonnullas animadversiones ad aenigmata pertinentes, de quibus Rieseus anthol. I, 2 praef. p. LXVIII s. egit. P. LXVIII in carminis, quod de vesica agit, versu primo pro *celatum* scribas *gelatum*, quod vocabulo *liquentem* opponitur; ib. v. 2 *Verbero*. P. LXX de serico v. 4 pro *et talis effecta* legas *effeta*: praecedit enim: *Exiguos collapsa foetos pro munere fundo*; v. 5 scrib. *perfectam*. Ibid. *de nymphe*, quod praescriptum est, vitio laborat, quia *ebrius* v. 2 positum masculini generis nomen desiderat; v. 6 *diffusos* leg. Ibid. *de viola* v. 1 scrib. *effeta*; nam v. 2 *cunctos* pro *cunctas* typosetae vitium videtur. P. LXXI de pipere v. 3 lacuna inter *virtus* et *si* conspicua fortasse ita explenda: Nulla mihi virtus, *totus* si mansero semper, cf. v. seq. *Vigeo nam caesus, valeo multum confractus*. V. 5 leg. *dente* et commate post *mordentem* sublato post *morsu* distinguas. Ibid. *de glacie* v. 3 post *genito* suppl. *ante*. Ibid. *de hedera* v. 1 quod pro *namet lapidea mater* Rieseus *paries e lapide mater* scribi voluit, satis sagaciter inventum, sed nimis a tradita codicis scriptura discrepat. Quid si *manet lapidea mater* subesse dicamus? P. LXXII de vento v. 5 *Cernere me quisquam vinclis quoque neque tenere*.] Verbum finitum requiri potentiam significans iam Moneus viderat, qui pro *quoque* coniceret *potest*, sed traditae lectionis vestigia artius premens malim: *Cernere me quisquam nequit vinclisque tenere*. Nam prosodiae legum nulla in hisce griphis habetur ratio. Ibid. *de glacie* v. 6 *Qui saevos abire iubet, torpescere pulchros*] leg. *Qui*

*suaves*. Ultimum p. LXXII aenigma titulo carens ad *ceram* spectat; similiter ultimum p. LXXIII ad *nucem*. P. LXXIV aenigma tertium de *rosa* agere videtur (cf. inscriptionem sequentis carminis); v. 6 pro *succendere* leg. *succedere*. Ibid. aenigma ultimum ad *rotam* referendum. P. LXXV Duo generant etc. v. 2 Homine sub uno divisos quisque naturam] leg. *Nomine sub uno diversa* (vel *diversus*) *quisque natura*; v. 4 pro *requiret* scribas *requirit*; v. 5 *iungunt* pro *cingunt*.

Datum BERNÆ Idibus Novembribus a. MDCCCLXXXV.

